



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. Quæstiones aliquot circa prædictos titulos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

§. IV. Quaestiones aliquot circa praedictos Titulos Ordinandum.

AN SUSPENSIONEM INCURRAT, QUI ordinatur sine Titulo?

Novitios, vel nulliter professos suspensionem incurtere, iam modo dictum est. De aliis igitur, quæto, qui forte sine Titulo Beneficii, vel Patrimonii, vel Paupertatis ordinantur.

1. Et sanè olim, ipso facto, c. Nemine, c. Sanctorum, diff. 70. suspensionem incurrebant, & celebrantes contrahant irregularitatem ii, qui sine sufficienti titulo Ordines Sacros suscipiebant. Postea vero (c. Cum secundum Apostolum, de prebendis, ab Innocentio III. ablata, ex meliori sententia fuit, hæc suspensio in illis verbis; (Nos tamen benignius agere cupientes) & impositum fuit onus Episcopo aliquem sine Titulo scienter ordinanti, ut ipse teneretur alere sic ordinatum, donec ei de sufficienti beneficio provideretur.

2. Id olim fuit: Sed quid hodie post Tridentinum? (ss. 21. c. 2. De ref. loquimur autem de dicta pœna suspensionis, nam graviter peccari ab ordinante, & ab ordinando, nullus dubitat.

3. Respondeo. Multi insignes Doctores, ut Suar. d. 31. de Confess. l. 1. n. 35. Theaur. de penis Eccles. 3. p. V. Ordo c. 11. n. 4. Bonac. l. c. n. 26. Bord. T. 2. ref. 77. n. 70. alique apud Barb. in loc. c. Trident. à n. 71. dicunt ejusmodi sic ordinatum incurtere dictam suspensionem, qui putant, Tridentinum loc. cit. dum patrimonium seu alimenta sufficientia omnino requirere in ordinato, sic habet: Aniquum Canonum pena super his innovando: putant, inquam, innovare, tum pœnam suspensionis contra ordinatum, tum pœnam oneris alendi contra Episcopum ordinantem.

4. Verum multi non inferioris item ordinis Doctores, ut Sà. Tol. Henrig. alique ap. Dicast. p. 2. tract. 1. 6. ref. 5. Sanct. variar. q. 49. n. 115. Barb. l. c. n. 73. March. de Ordin. r. p. 6. cap. 7. diff. 6. G. Hurt. de suspens. diff. 13. n. 58. immo, ut habet Barbosa loc. cit. numero, & auctoritate Superiores, docent, Tridentinum non innovasse pœnam suspensionis contra ordinatum, quæ iam ante Tridentinum fuerat ablata, sed solum innovasse, vel confirmasse pœnam oneris alendi, quæ ablata non fuerat.

5. Mihi placet huic posteriori sententiae adherere, licet fitear, probabilem esse priorem. Ratio, quæ me movet, est, quia non possum mihi persuadere, Tridentinum voluisse innovare pœnam illam, quæ iam erat abolita per Innocentium Tertium, illius expressam mentionem nullo modo faciendo. Adde in pœnis benigniorem sensum esse sustinendum, &c.

6. Si ordinandus pactum inear cum Episcopo, quod ab eo non petet alimenta, tunc enim vero incurret suspensionem à solo Summo Pontifice dispensandam, c. par. de Simon. lege Hurt. l. c. & ordinans suspenditur per triennium à collatione Ordinum, & eundem præstans per idem triennium, ab Ordinum executione.

7. Quando scienter Episcopus ordinat aliquem sine patrimonio, quem alius Episcopus præstavit, quisnam obligabitur porrigere ejusmodi ordinato alimenta, ordinans, an præstans?

Respondeo, id clare decidi à Bonifacio VIII. in iure, c. f. Episc. de prebend. & dignita. in 6. quod, quando occurrerit casus, facile videre poteris; longum enim esset Decisionem illam varios casus continentem hîc referre.

PATRIMONIUM FICTIVUM.

8. Quid si quis fingat, vel ementiatur Patrimonium?

Respondeo. Tunc, si dictum supponis esse patrimonium, nullum illud erit; ergo is cum nullo titulo ordinabitur, & sic recurrit doctrina modo prædicta à num. 4.

Part III.

PATRIMONIUM CUM PROMISSIONE

illud alteri retrodonandi.

10. Quid, si ab amico acceptavi Patrimonium, unde vero patrimonio promovear, sed eidem amico promiserim, ne illud eidem retrodonaturum?

Respondeo. Tunc peccasti graviter, quia in re gravi deceptisti Ecclesiam.

Instas: incidne in suspensionem?

Respondeo. Si hoc modo acquisitum patrimonium verum est patrimonium, non ordinatus fuisti sine titulo, atque adeo in nullius sententia incurristi in suspensionem: si non est verum, ut ego puro, quia morali modo est, ac ille bona non haberes, Doctores allati n. 4. dicunt, te incidisse. At Doctores sequentes opinionem probabiliorum dictam n. 6. negant, si nullum pactum iniisti cum Episcopo.

11. Bonacina de Sac. d. 8. q. 2. n. p. 5. num. 26. Dian. p. 8. tract. 6. ref. 135. alios citans, putat, prædictum, qui promissit se retrodonaturum amico post Ordines susceptos patrimonium, non obligari ad retrodonandum, quia ex Tridentino bona, ad quorum titulum quis ordinatur alienari nequeunt: unde potest is bona illa sibi in conscientia retinere. At Suar. d. 31. de Confess. l. 1. n. 37. alique apud eundem Dian. l. c. dicunt, tendi ad retrodonandum; quia, vel iure invalida fuit donatio amici ob defectum voluntatis de absolute donando, vel certe moraliter, ut ego dixi, seu æquivalenter, nulla fuit.

12. Hæc posterior sententia mihi videtur probabilior. Verum utramque esse probabilem, merito dicit Diana loc. cit. licet priorem, ut probabilior ipse sequatur, addit Sanch. alique, ejusmodi retrodonationem, si forte fiat, rescindi solere à foro exteriore, idque in pœnam Donatoris, qui voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum. Unde etiam sequitur, quod iudex non obligabit dictum Donatorem, ut donationem sibi factam ab ipso illo amico, illi retrocedat.

13. Si quis ordinandus promittat patrimonium amico reddere, quando ipse iam ordinatus nactus fuerit sufficienti beneficium, vel aliq. bona, idque cum consensu Episcopi, nullam pœnam, nullamque culpam incurret, quia nulla ratione contra Tridentinum operatur. Ita Trullench. de Ord. lib. 6. cap. unic. dub. 12. num. 3. in tit. de Patrim.

IN SYNODO PANORMITANA SUSPENDITUR, QUI cum fisco patrimonio ordinatur.

14. Denique hîc duo adverte. Primò, prædicta sic se habere in iure communi. Cæterum quisque sua Diocæsana consulat statuta. Sanè Synodus Panormitana anni 1652. p. 2. cap. 7. n. 97. suspensionem contra prædictos pronunciat: Declaramus, fictivum esse Patrimonium illud, quod ab aliquo possideretur cum previo pacto non exigendi fructus annuos, vel eos retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi. Declaramus etiam, in pœnam suspensionis à iure impostam eos incurtere, qui cum hoc fisco, & simulato patrimonio ad Sacros Ordines accesserint: eandemque pœnam suspensionis ipso facto incurrendam, si quatenus opus est, denuo iniungimus.

ULTRAMONTANI SUSPENDUNTUR, SI cum fisco Patrimonio ordinantur.

15. Secundo, adverte adesse Decretum Urbani Octavi quod eo ipso Ultramontanos, vel natos extra Italiam suspendit in perpetuum, si ordinentur in Italia cum fisco patrimonio, aliisque eos pœnis ad arbitrium Summi Pontificis subdit. De hoc Decreto iterum redibit sermo non multo post cap. 8. §. 2. num. 4.

DE PATRIMONIO SUFFICIENTI, SED non ex arbitrio Episcopi.

16. Si quis Patrimonio fruatur, quod sibi sufficiat ad alimenta sibi congrua? Episcopus tamen nolit patrimonium

K 2

monium illud ad ordines admittere. si is nihilominus initiator, diciturne initiator sine sufficienti patrimonio.

17. Rursus, si Episcopus, vel Synodus decernat pro patrimonio sufficienti v. g. quinquaginta aureos annuos, sufficiant autem mihi in meo oppido viginti, vel triginta, si cum his promoveat, & carne promoveri cum sufficienti patrimonio?

18. Respondeo, utrumque dici sine sufficienti patrimonio promoveri, quia manifeste Tridentinum illud vult esse sufficiens, quod approbat Episcopus. Ita Trullenchi, l. c. alios citans. Reminiscere nihilominus, cum pro his, tum pro precedentibus casibus, si parum, seu in quantitate minimè notabili sit defectus, esse tunc parvitatem materiæ, atque adeo tantummodo culpam venialem. Quenam sit hæc parvitas, vide apud Dianam, p. 4. tract. 4. Resol. 52.

AN PATRIMONIUM ALIENARI QUEAT?

19. Non posse alienari, donec ordinatus nanciscatur sufficiens Beneficium, vel bona, unde alatur, idque cum consensu Episcopi, diserte præcipit Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reform. An autem consensus Episcopi ita requiratur, ut sine illo invalida sit alienatio facta à dicto ordinato iam habente sufficiens beneficium, vel bona, bipartita est sententia apud Barbosam in loc. cit. Trid. n. 68. & 69. videnda, affirmans altera, altera negans, utraque probabiliter, quia verba, & contextus Tridentini in utramque partem probabiliter trahi possunt.

20. Sed adhuc inquires. Primum, An sicuti patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus fuit, potest modo dicto alienari post adeptum sufficiens Beneficium: ita è contra possit Beneficium renunciari post adeptum sufficiens patrimonium; vel sufficientia bona? Tridentinum enim solum prioris casus meminit.

21. Respondeo, posse modo dicto; est enim eadem prorsus ratio, eademque Concilii intentio.

22. Inquires Secundo, An, si alienare dictum patrimonium ante adeptum sufficiens beneficium, vel bona: non solum illicite mortaliter, ut certum est, sed etiam invalide alienare?

23. Respondeo, etiam invalide, ut est sententia communis: id enim clare colligitur ex verbis Tridentini loc. cit. nullatenus possit, addito sine, cur alienatio prohibeatur, qui est, alimenta ordinato in Sacris non deesse.

Immo, nec potes hypothecare tuum patrimonium, nec creditori tuo illud cedere, nec alteri remittere. Audi Barbosam in Trident. l. c. num. 65. p. 2. de potest. Ep. allegat. 19. præsertim n. 75.

24. Alienari, aut extingui, vel remitti non potest patrimonium, immo, nec vendi, nec permutari, nec hypothecari, nec præscribi tempore ordinatio, & paulo post: dictio illa nullatenus importat nullitatem actus ipso iure, ex multis quos plena manu retuli in Tr. de dissolutionibus.

25. Audi Aloysium Riccium p. 2. dec. Cur. Archiepisc. Neap. dec. mihi 212. multos Auct. & textus adducens; Eleganter, inquit, dubitatum fuit, an prohibitus alienare bona, ad quorum titulum quis fuit ordinatus, censeatur etiam prohibitus obligare eadem bona? & paulo post cum multa protulisset, sic habet: Nullatenus potest obligare in specie seu speciali obligatione, nominando tale bonum patrimoniale, & licet possit, sine incurfione pæna, obligare in tali genere, obligando nimirum omnia bona sua, tamen in tali generali obligatione non comprehenduntur huiusmodi bona, ad quorum titulum fuit promotus.

26. Confirmantur hæc ex sequenti resolutione. Quærent ap. Leand. de ord. d. 9. qu. 6. nonnulli. An ordinatus Diaconus cum legitimo patrimonio, si illud ante susceptionem presbyteratus alteri renunciet (idem certe esset, si vendat) & deinde ad Sacerdotium promoveatur, incurrat suspensionem? (peccare enim mortaliter non est dubium) & quamvis multi, qui sententiam il-

lam dictam num. 4. sequuntur, affirmant, quia licet patrimonium ordinabitur, tamen probabiliter patrimonium itando in illa sententia, negant, quia censetur remutationem omnino esse invalidam, unde colligunt, hunc revera non ordinari sine patrimonio.

27. Dictum patrimonium licet à Principe collatum non possit; Ita Sanch. loc. c. conf. c. 1. d. 36. nec collat. debeat gabella; tamen in rigore non est bonum ecclesiasticum, dicitur contra Marchionem, de Ord. l. 1. c. 7. diff. 12. supra in tract. de casib. refero. c. 6. §. 3. j.

DE AMITTENTE PATRIMONIO

28. Titius idoneo patrimonio introitus ordinis fuit Subdiaconus, sed deinde, sine sua culpa illud amisit, potestne licite, sine aliis bonis ad viceriores Ordines ascendere? Idem quæro de simili Diacono, quod Sub-

29. Respondeo, non posse; Ita Cast. d. 2. de Ord. num. 4. cum Suario. Barb. Henr. ab eod. cit. Trull. de Ord. l. 6. c. 2. d. 12. n. 3. in tit. de Patrim. quia de promovetur sine patrimonio contra Tridentinum, licet tamen una quædam benigna interpretatio, nam Diaconatu, vel Subdiaconatu cum dedecore clericatus, vel mendicare vel turpi quæstu vivere, uterque is cogere, spem autem haberet, cum Sacerdotio honestius se fore sustentandum, possit Episcopus dispensare ad Sacerdotium, quia hæc esset causa dispensandi. Ita Henriquez, & Avila, quos citat, & non reprobat Castrop. l. c.

30. Propter dictas similes rationes cum legitimum patrimonium promotus, sed deinde sine culpa (num. cum culpa dicam infra de irreg. c. 20. §. 4.) ob aliquod infirmum, illo privatus poterit Episcopus permittere electionem, aliaque Sacerdotis ministeria. Imò quod Sacerdotes ejusmodi posse sine vlla Episcopi licentia, proprosequi in suis dictis ministeriis, quia ubi nulla est, nulla esse debet pæna. Et quia honestus, sic vivat, quia nullum jus est in oppositum. Jura enim solvantur, ne ascendatur ad Ordines sine patrimonio, ubi de ejusmodi amissione loquuntur, & denique, qui est est praxis; cum nemo ex Sacerdotibus se gerat, ut scientibus Prælatibus suspensum ex superveniente infirmitate patrimonii. Vide, quæ Deo dante dicamus in Tr. de irreg.

AN SINE PATRIMONIO INSALEBILIS

aliquis vir initiator possit? Quid de expellente cum hereditatem, vel quid simile?

31. Docent non pauci, ut Henric. Avil. aliquot. Castrop. de Ord. p. 9. n. 5. posse aliquando Episcopum dispensare, ut absque Patrimonio, vel Beneficio ordinetur in Sacris vir literis insignis, cui merito præfati potest non defutura honesta alimenta.

32. Sed profecto id videtur contra Tridentinum p. 21. c. 2. de Ref. & forte, dum præcipit, ne quis quovis aliis sit idoneus moribus, scientia, & ætate sine patrimonio ordinetur, id prohibere signate voluit.

33. Majorem probabilitatis speciem habet, Patrim. quod aliqui, ap. Leand. disput. 6. de Ord. p. 13. affirmant, posse scilicet promoveri eum, qui de proximo immo morali, & humano potest existimari, jam peccatib. nescio.

Secundò, quod alii inter quos est Sord. apud eund. Leand. dicunt, posse sacris initiari filium, qui pinguis patrimonium expectat à Patre.

Tertiò, quod Sà, multique ap. eund. Leand. p. 10. Dian. p. 4. r. 4. res. 15. putarunt posse scilicet promoveri gradum in jure Canonico vel in Theologia, præsertim in Collegiis Majoribus Hispaniæ, quibus nunquā desit Beneficiorum pinguias; tunc enim perinde sunt, ac si Beneficio gauderet.

34. His tamen non obstantibus, quæ pensare nunc non vacat, recedendum non est à tam clara dispositione Tridentini ibi (nisi legitime constet Beneficium pacifice possidere) & ibi (patrimonium esse ab eis obtineri.) Adde, & responsiones Cardinalium apud prædictos Auctores, & præsertim apud Sâ expurgatum.

AN SINE BENEFICIO, SED CVM SOLO Patrimonio possit quis promoveri?

35. Tridentinum loco cit. sic disponit: Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Hac Tridentinum. Cum ergo illud iudicaverit hic significet boni viri arbitrium, hoc est voluntatem rationi congruam, contra Tridentinum faceret Episcopus, si solus Patrimonii titulo, ad hominem promovendum moveretur. Atque hinc refert Navarrus, apud Trullenc. de Ord. loc. c. se vidisse negatam euidam fuisse facultatem ascendendi ad Subdiaconatum ob defectum tituli Beneficii, licet si habuerit patrimonium trium millium fecerunt. Id, quod refert Trull. loc. cit. ait, hoc Decretum obligare sub mortali, citatque eundem Navarrum, & Villalobos.

36. Equidem duo expendenda Lectoribus do. Primò, nonne potuit esse causa rationalis prædictum hominem promovendi, quia vile, & honorificum est Ecclesie, hominem prædicationem ejus servitio addici, & consecrari?

Secundò, tantum rigorem exposcendi omnino Beneficium in ordinandis vix animadverto in Episcopis: vltusne subsecutus Decretum hoc fortasse mitigavit?

CAPUT VII.

De Ministro Ordinis.

§. I. Quoad Validitatem.

1. Certum est, ordinarium Ministrum Ordinibus conferendis esse Episcopum, ut habet Tridentinum, sess. 23. cap. 4.

2. Certum item est omnes Episcopos in hoc æquales esse, & validè cuicunque Fidei Ordines ministrare. Nam Episcopus quicunque, etiam excommunicatus, etiam hereticus, etiam si Diaconatum, & alios inferiores Ordines non suscepisset, potest omnes Ordines, quovis à se non susceptos, alteri conferre, dummodo vere ipse sit Sacerdos, & Episcopus consecratus (non enim satis foret, esse electum, & confirmatum) siquidem Ordines confert, v.g. Diaconatum, non ex vi Diaconatus, quem habeat, sed ex vi Ordinis Episcopalis, quia Diaconatum, aliosque ipso inferiores essentialiter non supponit. Lege Vasquez, tom. 3. in 3. p. d. 243. n. 24. March. de Ordine tract. 1. part. 3. cap. 7. alioque, licet sit contrarius Sanchez in consil. 1. 7. cap. 1. dub. 14. aliique re- liti à Leand. de Ord. d. 4. q. 4.

3. Incertum ergo illud remanet, An alii Episcopo inferiores, id est Sacerdotes communes possint ex delegatione Summi Pontificis, Ordines validè conferre. Nam non Sacerdoti, etiam si sit Cardinalis, tantam potestatem delegari non posse, quia, nec exemplum, nec vlla ratio id persuadet, certum omnino est. Ita Sanch. Coninch. alii- que apud Leand. loc. cit. 16. & apud Averf. de Ord. q. 3. sess. 3. Vers. In hac re.

4. Respondeo, distinguendo Ordines in tres classes. Primò, in Sacerdotium. Secundò, in Diaconatum, & Subdiaconatum. Tertiò, in Minores, Tonsuramque primam.

5. Dico jam Primò, probabile ab aliquibus existimari, Sacerdoti posse à Pontifice delegari potestatem conferendi alteri Sacerdotium, sed improbable existimari ab

Pars 111.

aliis; quod posterius libentius recipio; cum enim hanc delegationem nunquam concesserit Pontifex, ab ipso Ecclesie initio, non est res tanti momenti, sic facile concedenda. Lege citatos.

6. Dico Secundò facilius posse concedi, delegabilem à Summo Pontifice esse Sacerdoti potestatem conferendi Diaconatum, & Subdiaconatum, quia non tam clare apparet hic valde gravis inconvenientia, immo fertur Innocentium Octavum à concessisse Abbatibus Cisterciensibus pro suis Monachis. Sed nihilominus id alii negant apud Leand. loco citato, question. 18. & quoad Innocentium dicunt, ipsum solum concessisse, ut dicti Abbates possint in suis Monasteriis ordinare suos non per se, sed per quemcumque Episcopum.

7. Dico Tertiò, Sacerdoti posse Summum Pontificem concedere facultatem conferendi primam tonsuram, Minoresque Ordines.

Addo concessam de facto eam esse quibusdam Abbatibus pro suis Regularibus. Legantur Diana, part. 4. tract. 4. resol. 147. & part. 5. tract. 13. resol. 93. & part. 7. tract. 11. resol. 42. Leander d. 4. de Ord. præsertim à quest. 9. usque ad 15. Marchinus tract. 1. part. 2. de Ordine, cap. 10. Loth. in res. Theol. tract. 7. q. 1. art. 3. aliique permulti ab ipsis adducti, qui de hac concessione, ejusque extensione, hinc, inde, disputant latè.

§. II. De Ministro Ordinis quoad licitum usum.

1. Quamvis multa requirantur in Episcopo, ut licite Ordines conferat, status v.g. gratia, non esse suspensum à Pontificalibus, &c. tamen, quia de his, & similibus, alibi dictum est, hic solum proprius locus est agendi, Quosnam Fideles possit licite Episcopus promoveri. At quia certum est, non posse nisi suos; cum ex Sacris Textibus, ut videre est in Trid. sess. 6. cap. 5. de Ref. & sess. 14. cap. 2. non liceat quempiam ordinari, nisi à proprio Episcopo; ideo hic solum superest quære- re, quibusnam nomine proprii Episcopi, intelligendus sit?

2. Respondeo, in aliis marginis intelligitur ille Episcopus, in cujus Diocesi habet quis fixum domicilium: at vero in materia Ordinationis aliquanto latius, ut vult Sanch. l. 3. matr. d. 23. n. 7. accipitur nomen proprii Episcopi. Bonifacius enim c. Cum nullus de temp. Ord. in 6. qui, nec expresse, nec tacite revocatus fuit à Tridentino, quicquid aliqui dicant, vel certe etiam si fuerit à Tridentino revocatus, revocatio tamen est abrogata ab ipso usu omnium Ecclesiarum, & Episcoporum, iuxta dicti Bonifacii dispositionem, quotidie operantium: Bonifacius, inquam, generaliter sic rem hanc disponit, ut velit neminem posse ordinari, etiam prima Tonsura, nisi ab Episcopo, qui proprie sit suus, vel ratione Originis, vel ratione Beneficii, vel ratione Domicilii.

3. Non deest tamen duplex exceptio. Prima habetur in Tridentino sess. 14. cap. 2. de Reform. Castropalaus d. vn. de Ordine, part. 15. num. 6. fine, in favorem Familiarum Episcoporum, ut scilicet Episcopus Diocesis possit ordinare suum non subditum, qui per triennium cum ipso fuerit commoratus, & cui statim Beneficium conferat. Dixi (Episcopus Diocesis) nam id originis negatur. Lege Trident. sess. 23. cap. 9. de Ref. Episcopo Titulari Diocesim non habenti. Ita Trid. sess. 14. cap. de Ref. Castropal. d. vn. de Ordine, part. 15. num. 6. fine. Quod autem familiari huic, saltem intra decem dies, debeat Episcopus beneficium conferre. Quod hæc concessio extendatur etiam ad famulos talium familiarum. Quod triennium debeat esse continuatum. Quod numeretur, etiam si inceptum ante collationem Episcopatus. Quod servitium debeat fieri Episcopo præfenti, non autem distanti, sunt quæstiones, notatæ à Doctoribus apud Leandrum, de Ordine, d. 8. à quest. 22. & apud March. tr. 1. de Ordine, p. 5. cap. 9. Castrop. de suspens. d. 4. §. 10. num. 4. Vers. Secundus est.

K 3

4. An